



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis in regno Franciae
constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

deberes resurgere fortior, & præteritorum abundantiam delictorum satisfactione sic plenaria compensare ut novum meriti singularis præconium veteris nequitiae deleret infamiam, & vitiorum notam virtutis titulus aboleret. Ne autem negligentiam tuam possis aliquatenus excusare, ac ne non subesse caufam alleges in qua militarem valeas industriam in divinis obsequiis exercere, se ipsum Dominus denuo tradi passus est in manibus peccatorum, & hereditatem suam se ipso exule ab impiis occupari, ut quanti eum facias in instantis articulo necessitatis ostendas, & an pro ipso te ipsum abneges, & tollas crucem ejus, & ipsum sequaris, qui pro te semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, omnibus manifestet. Sanè si nec timor Domini, nec fidei Christianæ religio, nec communis utilitas populi Christiani ad id tuam industriam commoveret, egregiæ tamen recordationis Alphonsi quondam avi tui memoria te ad terræ orientalis subsidium inducere potuisset, ut in partibus illis ejus exemplo perpetuae tibi laudis titulos comparares, & avita virtutis præconium in paganorum excidium redoleres. Vt igitur præter divinam gratiam peccatorum tuorum veniam & apostolica protectionis praedium, quæ in suis illic expensis proficiscentibus indulgemus, & augmentum æternæ coronæ, quod insuper pollicemur, à Domino mercaris, rogamus nobilitatem tuam, monemus, & hortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus signum vivificæ crucis affumas, & in satisfactionem criminum quæ hacenus commisisti, ad partes transseas transmarinas, ubi funiculum hereditatis Christi & jura populi Christiani defendas, & impugnes barbariem paganorum. Credimus enim & de divina miseratione speramus quod si (quod optamus) in humilitate cordis & corporis iter fueris peregrinationis aggressus, is qui piis aspirat propositis, diriget gressus tuos, & de inimicis crucis laudem tibi victoriae, sicut quandam avo tuo, misericorditer largietur. Si autem in persona propria non potueris transfretare, ut aliquod saltum apostolicæ remissionis beneficium consequaris,

juxta quod tantum Principem decet, certum ultra mare dirigas numerum bellatorum, ut vel per alios facias quod per te non poteris adimplere. Datum Laterani II. Nonas Novembbris.

FRATRI FVLCONI.

SAlutiferum tuæ doctrinæ jampriedem audientes exemplum, plurimum gavisi sumus in Domino, ejus misericordiam implorantes ut bonum in te corroboret quod incepit. Vt autem secundum Apostolum opus Evangelista faciens, prædicationis officium fructuosi exequaris, præsertim in succursu Hierosolymitanæ provinciæ, ad quam totis viribus aspiramus, & talentum tibi commissum à Domino in populi sui eruditio distribuens, ipsum multiplicatum valeas reportare; nos illius urentes exemplo qui dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, plenam tibi auctoritate apostolica concedimus facultatem, ut cum consilio & assensu dilecti filii P. sanctæ Mariae in via lata Diac. Cardinalis, apostolicæ sedis Legati, quem ad hoc officium exequendum specialiter destinavimus, tam de monachis nigris quam albis sive Canonicis regularibus aliquot, quos ad prædicandum idoneos esse decreveris, nullius contradictione vel appellatione obstante liberè tibi possis coadjutores adjungere qui tecum (juxta verbum propheticum) eminent super aquas, ne frumentum in populis abscondatur. Datum Laterani Nonis Novembbris.

ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI,
& aliis Ecclesiæ Prelatis in regno
Francie constitutis.

QVAM perniciosum sit vitium usurarum, discretionem vestram non credimus ignorare, cùm præter constitutiones canonicas, quæ in earum odium emanarunt, per Prophetam detur intelligi eos qui suam dant pecuniam ad usuram, à tabernaculo Domini repellendos, & tam in novo quam in veteri testamento prohibita sint usuræ; cùm Veritas ipsa præcipiat: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* & per Prophetam dicatur: *Viram & omnem superabundantiam non accipias.* Inde est quod universitatì vestra per apostolica scripta mandamus quatenus

Epi.398.
Vt cum alia
piis viris al
miliciam faci
proficiebas.

Epi.399.
Vt usurarij po
mianor, ne
obstante aliqui
appellatio[n]e,
Cap. Quatuor
nicolum. De
usurpi.

Lit.401
permissu[m]
littera[m]. Le
monstrat e
ste. Et per
scriptio[n]em.

nus manifestos usurarios, eos maximè quos usuris publicè renuntiassè constituit, cùm aliquis eos convenerit de usuris, nullius permittatis appellationis subterfugio se tueri. Datum Laterani V. Kal. Novembri.

SIPONTINO ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 400.
De collegiata
Ecclesia in ce-
nobium mona-
chorum con-
vertenda.

Cum ad ea exequenda quæ religio nem sapient & opus in se continent pietatis, sollicitudinem tuam excitamus, tanto adimplere debes sollicitius quod mandamus, quanto ea exequi diligenter ex debito teneris officij pastoralis. Significavit siquidem nobis dilectus filius magister Nicolaus Ecclesiæ Troianæ Decanus, quod cùm Ecclesiam sancti Nicolai de Regulis possideat, & eam sufficientem & idoneam cognoscat ad canonicam regularem, plantare ibidem religionem desiderat, & Canonicos instituire in eadem, qui secundum regulam beati Augustini Domino debeant jugiter defervire. Licet autem hoc à nobis libi postularer cum instantia indulgeri, nos tamen tuae volentes fraternitati deferre, in cuius dioecesi esse proponitur Ecclesia memorata, negotium ipsum tua duximus experientia committendum. Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si præfatam Ecclesiam ad hoc idoneam & sufficientem cognoveris, & fratres Clerici & laici, qui nunc in ea deseruiunt, in hoc sponte voluerint consentire, nec aliud obstiterit per quod negotium ipsum debeat rationabiliter impediri, tu præfato magistro N. ut eandem Ecclesiam canonicam instituat regularem, liberam tribus facultatem, ut & ejus pio desiderio satisfiat, & tu de plantanda religione in dioecesi tua possis meritò commendari. Datum Laterani VII. Idus Novembri.

NOBILI VIRO ACERBO

Priori & aliis Rectoribus Thusciae
& Ducatus.

Epiſt. 401.
Quod perficit
in devotione
Ecclesiæ. Et
promittit eis
favor & pro-
tectionis ipsius.

Sicut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento cœli constituit, luminare majus, ut præcesset diei, & luminare minus, ut nocti præcesset, sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cœli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates, maiorem, quæ quasi diebus animabus præcesset, & minorem, quæ quasi noctibus præcesset corporibus: quæ sunt pontificalis

auctoritas, & regalis potestas. Porrò sicut luna lumen suum à sole sortitur, que re vera minor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu; sic regalis potestas ab auctoritate pontificali suæ sortitur dignitatis splendorem; cuius conspectui quanto magis inhæret, tanto minori lumine decoratur, & quod plus ab ejus elongatur aspectu, eo plus proficit in splendore. Vtraquæ vero potestas sive primatus sedem in Italia meruit obtinere, quæ dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum. Et ideo licet ad universas provincias nostræ provisionis aciem extenderemus, specialiter tamen Italiam paternam nos convenit sollicitudine providere, in qua Christianæ religionis fundamentum existit, & per apostolicæ sedis primatum sacerdotij simul & regni præminent principatus. Hujus autem provisionis officium laudabiliter exerceamus, si per nostræ sollicitudinis studium procuramus ne filii fiant servi, neque minoris à majoribus opprimantur; ut servata moderaminis æquitate sic isti serviant, quod illi non serviant; ut nec isti subesse contemnant, nec illi contendant præesse. Volentes ergo vos tanquam speciales filios apostolicæ protectionis brachiis amplexari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum, ad divini nominis gloriam, & apostolica sedis honorem, quantum cum nostra possumus honestate, vobis adversus oppressionis incursum & gravaminis infolentiam nostrum patrocinium exhibere: quatenus per apostolicæ protectionis auxilium in debito statu perseverare possitis, & inita jam concordia semper inter vosde bono in melius perseveret. Speculantes & pro certo tenentes quod vos nobis & Ecclesiæ Romanae gratum semper devotionis & fidei debeatis obsequium impetriri; ut dum vos à nobis protectionis patrocinium suscepitis, & nos à vobis devotionis obsequium receperimus, utrinque grata debeat utilitas procurari. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, per apostolica scripta mandantes, quatenus certam & firmam de nobis fiduciam obtinentes, qui, sicut apostolicæ convenienter gravitati, plus facere pro vobis quam promittere vobis intendinus, ea semper agere studeatis quæ ad honorem & profectum Ecclesiæ Rom. proveniant, ut

Gg ij